

derici, sed eam dimisit in doloribus et pressura, transfretavit cum tribus fratribus suis, tercio scilicet Ruoberto iam occiso in bello¹ facto, et fere omnes fracti, capti et mortui sunt qui tunc erant cum rege, ita quod non remanserunt nisi pauci. Rex enim et qui cum eo erant duo fratres capti, divina ordinacione liberati sunt post paucos dies a soldano; et infiniti christiani capti remanserunt in carcere Sarracenorum; postmodum rex in Franciam est reversus cum diminucione maxima gentis sue; et forte hoc Domino placuit ipsum pati, quia noluit contra dictum Fridericum ecclesiam defensare, qui² regem super hoc pluries requisivit. Hic etiam Innocencius III^{us} multa nova edidit in concilio Lugdunensi, quibus multi utuntur in iudicio et in scolis. Hic etiam armata manu intravit in Apuliam et eam fere totam occupavit; ubi eum Dominus ad se evocavit.

Alexander III^{us}, nacione Campanus, cepit an. D. 1254. Hic constitutionem dedit, ut omnes electi katedralium ecclesiarum infra 6 menses munus consecracionis recipere aut [ab³] amministracione spiritalium et temporalium essent suspensi; et si contra hoc mandatum amministrarent nec infra alios 6 menses eidem constitutioni obedirent, ecclesias ipsorum vacare prenunciavit, dans electoribus extunc potestatem liberam eligendi. Cuius constitutionis occasione cum dominus Ph. electus Salzburgensis a capitulo suo et ministerialibus super eodem capitulo ammoneretur⁴ et requireretur, nimium ira motus, civitatem clam egressus, obligatis pluribus possessionibus ecclesie et distractis, aliquot armatos collegit, et hostiliter in civitatem regressus, tam in ipsa quam in tota dyocesi per distractiones dominicalium et rapinas inaudita plurima perpetravit⁵. Hic obiit anno Domini 1261^o. Cui successit patriarcha Ierosolimitanus⁶, qui curiam Romanam pro consilio et auxilio contra ferocitatem Tartarorum, qui iam Terram Sanctam vastabant, adierat, in papam eligitur nomenque Urbanus sortitur. Hic recepit cessionem fratris Alberti Ratisponensis episcopi et eidem substituit magistrum Leonem, eiusdem ecclesie decanum, omnium voto electum.

Anno Domini 1265^o Urbanus papa obiit. Cui dominus Guido cardinalis substituitur nomenque Clemens sortitur⁷. Huic dominus Ulricus archiepiscopus suam per litteras transmisit cessionem, quam papa acceptans, dominum Wlodeslaum ducem Polonie prefecit ecclesie Salzburgensi et magistrum Petrum, pedagogum dicti ducis, ecclesie prefecit Pathaviensi⁸. Hic Clemens papa obiit anno Domini 1268^o et cet.

Explicit cronica. (Roth.)

1) alio aū Hs. Es steckt hierin vielleicht die Ortsangabe. 2) So Hs. 3) Später ergänzt. 4) amouer. Hs. 5) Diese Partie steht in Ann. S. Rudb. Salisb., SS. IX, 793. 6) Am Rande: Urbanus Hs. 7) Am Rande: Clemens Hs. 8) SS. IX, 797.